

ex mediis mineralibus: ut sunt sales, alumina, atramenta, marchasitæ, antimonium, sulfura & argentum vivum communia?

RAI. Neque etiam ex his.

DISC. Sunt tamen admodum durabilia.

RAIM. Non sunt super omnia efficaciora & incorruptilia.

DISC. Quis hæc corrumpit?

RAIM. Ignis magnus.

DISC. Ignis omnia corrumpit & dissipat.

RAIM. Non corrumpit humidum radicale elementorum, neque eorum calidum innatum & radicale.

DISC. Quamobrem?

RAIM. Ob illorum homogeneitatem, & durissimam, ac fortissimam compositionem & colligationem, & ob vaporosam mistionem & longissimam & temperatissimam decoctionem in mineralia.

DISC. Concludere ergo vis hanc medicinam fieri debere ex humido & calido radicalibus metallorum.

RAIM. Videmus metalla quæ mille annos defossa jacuerunt sub terra in Romanis antiquitatibus, adhuc incorrupta esse, & nullum detrimentum ferè sensisse: cogita ergo quantum duraret eorum humidum radicale purificatum, distillatum, & à quacunque corruptibili & elementalī parte separatum. Hac de causa Geb. lib. 2. cap. 12. dicit: Videmus rem distillatam fieri magis puram, & melius custodiri à putrefactione.

DIS.